



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fvldensivm Antiqvitatvm Libri III.**

**Brouwer, Christoph**

**Antverpiæ, 1612**

Cap. IX. S. Bonifacij reliquiæ minores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39712**

antiquo scriptore loquar, *ad monasterium Novi montis, ut piè creditur, palamque cernitur, sunt translati.* Notantur insignia vnus in scuto, duo candelabra; in alterius, duæ oliuæ; & subscriptum: *Arma Ioannis & Pauli martyrum & patronorum Novi montis.* sed hæc symbola nemo nescit ex S. Ioannis Apocalypsi petita. Nam S. Bonifacio aliisq. vetustis Martyribus certæ stirpis aut gentis affingere insignia, commentum est otiosorum hominum, vix poetarum ingeniis dignum, quasi genus & nobilitatem suam virtus & sanctimonia sine clypeis & colorum discrimine tueri non posset.

Cap. xi.  
Anglia Regum insignia appingunt S. Bonifacio.

S. Fabiani caput.

S. FABIANI Pontificis Romani caput, aut certè capitis verticem, in montis B. Virginis monasterio venerationi olim fuisse & spectaculo, produnt eius loci monumenta. Asseruari iam id in arcis nouæ sacello, sine inscriptionis vllâ notâ, opinari cogor, nec friuolis caussis, si res ferat, asseuerauerim. spectatur argenteo thorace à pectore ad summum verticem, opere fusili, pontificiâ mitrâ habituque.

Reliquiarum ditior census.

Denique si indices antiqui fidem merentur, longè huius generis plura Sanctorum alia pignora hisce condita sacrariis habuere maiores: idque satis tituli persuadent, & accumulata capitibus ossa veneranda, quæ Sanctandreami sacelli solo strata, congestaque diximus. Accedit huc, qui antiquo codice exprimitur, thecarum & conditoriorum cuiusuis formæ, metalli, & peregrinæ materiæ apparatus haud modicus, quorum omnium ferè iacturam, vt deplorauit superior ætas, ita vitam eorum vitalem fuisse, optent meritò posteris.

## C A P V T IX.

### *De S. Bonifacij reliquiis minoribus.*

QVIA S. Bonifacij & mors & vita pariter Fuldensi monasterio singularem & gratiam & gloriam peperit, meritò hæc maiores incessit cura; vt vtriusque beneficij famam, memorando quàm possent longissimè extenderent. Itaque & cultus sacerdotalis ornamenta, & doctrinæ cælestis instrumenta reliquere posteris, vt non patrocinijs tantum & perennis fauoris tam-



tamquam pignus & obsidem corpus ipsius Martyris haberent, sed amictum & libros sancti viri, ceu decerptos ex arbore nobili immortales fructus vsurparent.

Inter alia igitur Pontificis sacra lipsana, S. Bonifacij man- S. Bonifacij  
sacraia am-  
ictus.  
pulus, stola, annulus, cingula, quæque Missæ paramenta dici-  
mus, occurrunt; quorum hodie pars maxima latet, aut disper-  
sit. Pedum quoque, ceu S. Bonifacij extiterit, asseruari credunt: S. Bonifacij  
pedum.  
id rudi opere expolitum nitet velut eburneum; sed ex osse ma-  
rino fabrefactum, potior opinio tenet.

LIBRI verò, qui ad venerationem in sacrario expositi, tres Libri.  
præcipuè spectantur præcipui: primæ notæ in his, qui breuiore  
pergameno martyrij cicatricibus lacer, Longobardicam scri-  
pturam refert; quo & vsus putatur S. Bonifacius, quando gla- Codex in  
Martyrio  
discessit.  
diorum cæsum furentium ictibus latus opposuit. Etenim ge-  
mino tectus hic liber operimento, pro subtegmine corium ha-  
bet inauratum, quod per varias figuras tralucens, venustam ef-  
ficat speciem, sed ita mucrone deformatam, vt à summo ad di-  
midiati digiti latitudinem, atque hinc rursus ad sinistram,  
propriâ cicatrice gladij vestigia penetrent: denique hæc si-  
mul vulnera ferè in sceleni figuram cuneatim descendunt.  
Imâ quoque libri parte vibices inflictæ, punctim vna, cæsum  
altera, penetrans latitudine pollicis; postremò ictu transuer-  
so corium, & lignum operimenti dissectum. Argumenta tra-  
ctatum, qui huic libro inscripti, Moguntiacis nostri Serarij  
inserta sunt.

ALTER CODEX folio stricto palmi vix latitudinem exæ- Codex Evan-  
gelistarum.  
quans, harmoniam Euangelistarum, & eius canonem per ta-  
bulas & numeros in fronte monstrat, omnia maiusculis & se-  
miuncialibus fermè litteris, nisi quòd ad epistolam S. Iacobi  
exiliore & mirè catenatâ scripturâ annotationes & glossæ legun-  
tur, chirographo, vti reor, ipsius Martyris.

TERTIVS LIBER est Euangeliorum, in octauâ breuiusculâ, Testamentum  
ponitur.  
hoc sanctior, quòd litterarum fulci, manu D. Bonifacij item  
impressi, litteris sic inuicem implexis, vt laqueos mentiantur,  
& plagas reticulorum. Ad calcem libri insignis attestatio, aureo  
charactere rotundæ manus, hunc codicem Euangeliorum pro-  
priis S. Bonifacij manibus conscriptum; ab ecclesiâ ablatum;  
sed



sed Huoggi Abbati, ab Arnulpho Imperatore restitutum. scripturæ tenor hic est:

Hoc Euangelium S. Bonifacius Martyr Domini gloriosus, vt nobis seniorum relatione compertum est, propriis conscripsit manibus. Quod etiam venerabilis Abba Huggi obnixis precibus à Rege piissimo Arnolfo impetrauit; & Sanctæ Fuldensi Ecclesiæ honorabiliter restituit. Cui, Saluator Iesu Christe, præmia sempiterna pro deuotione suâ in cælestibus clementer redde, eumq. nobis feliciter dominari tempora longa concede.

Icones in fronte cuiusque Euangelistæ coloribus depictæ cum versibus. Ex iis eruere quantum licuit, iam damus.

*Mattheus instituit virtutum tramite mores;*

*Et benè viuendi iusto dedit ordine leges*

*Marcus; amat terras inter calumque volantem*

*Joannes aquilam; sancto regit omnia lapsu.*

*Lucas vberius describit prælia Christi.*

In virâ S. Bonifacij.

Libri S. Bonifacij viatorij.

Ceterum disquirat hîc quispiam, cum Othlonus scribit S. Bonifacium in agone martyrij codicem tanquam clypeum opposuisse capiti, anne codex hic noster idem ille, quem incisum ait per medium sine noxâ scripturæ, & suâ dum etate gladij illam prætulisse cicatricem. Sanè, ex historiâ martyrij quod tradiderim, complures liquet Martyrem secum habuisse libros, viatorio ritu, capsis & arcis inclusos, quorum casus & abolitionem restitutionemque prolixè notarunt vitæ scriptores. Ex iis an Fuldam olim Euangelij liber cum istac innoxij vulneris & incisionis notâ allatus sit, quod exploratè statuam, non reperio, nisi fortè argumenti specie deceptus Othlonus eum, quem cicatricosum antea descripsi, pro Euangelij codice subiecerit: est enim is styli ad legendum nunc difficillimi, meritoq. hunc oppositum fidei hostibus dixerim; quia inter alia fert sanctæ Trinitatis confessionem, & regulam fidei Catholicæ, atque etiam S. Ambrosij librum de bono mortis. Is verò codex Euangelij, quem S. Bonifacius suâ manu scripsit, & exiguus est, ac nullius incussu plagæ violatus.

Claudat



Claudat iam sacrum hunc censum AMICTVS excellens, in quo S. Martyris corpus inuolutum iacuit; qui cum hominum fugeret memoriam, accidit anno salutis MDCV. ipso die S. Lucia, id est, XI. Decembris, vt R<sup>mi</sup> Balthasari nutu, disquisitio reliquiarum fieret, quò nobili Dynastæ Germano gratum faceret. Aderat ibi tum reuerendus & nobilis Ioannes Fridericus à Schwalbach Fuld. ecclesiæ Decanus: cuius voluntate studioque, cum rimamur interiora, fortè in abditam arculam delatis, vestis hæc subtilissimo lini bysive textu, sponte se in conspectum dedit, cum hac inscriptione:

SVDARIVM S. BONIFACII MARTYRIS.

Religionem sindonis attestabatur partium exsectio frequens, quas animæ piæ ad instaurandum Martyris honores, & impetranda suffragia, hinc olim exportauerint.

CAPVT X.

*Congregationes & monasteria Fuldensi Ecclesia  
iuncta & adunata.*

NON facile litteris assequar, quibus olim membris & artibus hoc Fuldensis ecclesiæ corpus instructum, quàm latè pertinuerit, plurimis & temporum iniuriâ, & casibus rerum humanarum iam abolitis locis, & in aliam faciem, alterante sorte, mutatis. Faciam itaque compendio, eaquæ vel hîc recensebo potissimum monasteria, quæ auorum memoriâ tenebantur ditione Fuldensis Abbatis, & huic, tamquam capiti membra, colligata, omnium sacrarum erant & humanarum societate deuincta. Quod priusquam exequar, id animaduertere licet, copiâ quadam sanctimoniæ & rei monasticæ factum, vt non vno, maximo licet cœnobio, contenti maiores, huius quoque familiæ suæ fructum latius quacumque diffunderent, & per vicina loca propagatum irent. Et creuit opus virtutis æmulatione; quando pulchritudine exempli complures accensi, psalmodiæ diuiniq; cultus assiduitate, pellexerunt & alios, qui Dei gloriam diurnâ nocturnaquæ voce certatim hîc celebrarent. Hinc in vno neque capaci quidem horizonte cernere

S oculis

*Sudarium  
S. Bonifacii  
aut linteum  
quo Martyris  
corpus inuol-  
utum.*

*Monastica  
rei amplius  
do.*